

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2498

Auteur(s) : Marie d'Yvetot, veuve de Hugues Fayun [particulier]

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1270, 1 août

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Vente à l'Hôtel-Dieu de Coutances, par Marie, veuve d'Hugues Fayun, moyennant 70 sous tournois qui proviennent de la donation d'Agathe de la Fabrique pour son obit, d'une rente annuelle de cinq boisseaux de froment à Morville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XCIX, p. 88-89.

Dissertation critique

Paul Le Cacheux donne la date de 1278.

Texte établi d'après a

Sciunt omnes presentes et futuri quod ego, Maria, relicta Hugonis dicti Fayun, de parrochia de Yvetot, quondam defuncti, tempore viduitatis mee, vendidi, concessi et omnino in perpetuum dimisi priori et fratribus Domus Dei Constanciensis, videlicet quinque bussellos frumenti annui redditus ad mensuram de Morevilla, cum omni jure et dominio quod habebam et habere poteram in Albino dicto Lemue et in duabus peciis terre, quas de me tenebat in feodum, sittis in dicta parrochia de Morevilla ; quarum prima dicitur Campus Huet, et continet duas virgatas terre et terciam partem unius virgate terre vel eocirca, sittas inter terram Guillermi Neel et terram heredum Thome Lebret a lateribus, et butat ad terram Nicholaï Piquere et ad terram Henrici Durant a capitibus ; secunda pecia terre sita est ibidem et dicitur campus Huet, et continet duas virgatas terre vel eocirca, sittas inter terram predicti Guillermi Neel et terram heredum Nicholaï Jumelin a lateribus, et butat ad terram predictorum Nicholaï Piquere et Henrici Durant a capitibus. Predicti prior et fratres et eorum successores habebunt, tenebunt et percipient predictos quinque bussellos frumenti annuatim ad festum Sancti Michaelis de cetero in perpetuum, per manum dicti Albini Lemue et heredum suorum seu per manum cujuscumque tenentis dictas terras, libere, quiete, pacifice et absolute, sine contradictione et reclamatione mei et heredum meorum, salvis tamen juribus, redditibus et faisanciis capitalium dominorum. Que quidem jura, cum predictis redditibus et faisantiis, ego predicta Maria et mei heredes persolvemus et solvere tenebimur annuatim. Pro hac autem venditione, concessione et dimissione taliter a me factis, dicti prior et fratres michi dederunt et persolverunt sexaginta decem solidos turonensium, quos habebant de dono Agathe de Fabrica de parrochia de Piris ad obitum suum annuatim faciendum communiter inter dictos fratres et pauperes dicte Domus. Et tenemur ego dicta Maria et heredes mei, predictis priori et fratribus et eorum successoribus, hec omnia predicta garantizare, defendere et deliberare contra omnes bona fide, et ipsos priorem et fratres et eorum

successores super hiis penitus observare indempnes, vel alibi in propria hereditate nostra, ubicunque sit, valore ad valorem competenter excambiare, si forte garantizare, defendere et deliberare non possemus. Quam quidem hereditatem cum redditibus meis ad hec obligo et volo de cetero teneri obligatam ; nec poterimus ego dicta Maria et heredes mei dictam hereditatem seu redditus de cetero dare, vendere, elemosinare vel amplius de redditu honerare, nisi de consensu et voluntate ditorum prioris et fratrum ; et poterunt ibidem dicti prior et fratres vel attorney eorumdem super predictis terris, singulis annis, si neccesse fuerit, suam plenariam justiciam exercere pro predicto redditu, sine contradictione alicujus, nisi sibi ad terminum antedictum libere et pacifice redderetur. Juravi etiam ego predicta Maria supra sacrosancta evangelia hec omnia predicta et singula me fideliter servaturam, et quod contra premissa per me seu per alium de cetero non veniam ullo modo. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen, et ut hoc firmum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratie M° CC° LXXmo, mense Augusti, die lune in festo sancti Petri ad Vincula.